

Johannes Hollmann Gerhard Musculus

Disputatio Iuridica, De Servitutibus Praedialibus,

Rostochi[i]: Pedanus, 1635

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn731642813>

Druck Freier  Zugang



Grundstückbelastungen

Joh. Holmann (Soh. Muscular) / Vert.

R. U. in 1635.

DISPUTATIO JURIDICA;
De
ER VITUTIBUS
PRÆDIALIBUS,

Quam

Feliciter verrente Deo.

INSENTIENTE AMPLIS-
SIMA FACULTATE JURIDICA
IN FAMIGERABILI

hâc

Rosarum Academia

Sub PRÆSIDIO

JOHANNIS HOLMANNI

Herfordiâ Westphali

discutiendam offert

ERHARDUS MUSCULUS

Osnabrûga VVestphalus. A. & R.

Ad diem 28. mensis Novemb. 1635.

Horis & loco consuetis,

✽(o)✽

ROSTOCHI,

Vidua JOACHIMI PEDANI Acad. Typog.

ANNO M. DC. XXXV.

1635

DISPUTATIO JURIDICA

De

SERVITUTIBUS
PRÆDIALIBUS,

Quam

Feliciter vertente Deo.

CONSENTIENTE AMPLIS-
SIMA FACULTATE JURIDICA
IN FAMIGERABILI

hâc

Rosarum Academiâ

Sub PRÆSIDIO

Dn. JOHANNIS HOLMANNI
Herfordiâ Westphali

discutiendam offerre

GERHARDUS MUSCULUS

Osnabrûga VVestphalus. A. & R.

Ad diem 28. mensis Novemb. 1635

Horis & loco consuetis,

✠(o)✠

ROSTOCHI,

Litteris Viduæ JOACHIMIPEDANI Acad. Typog.

ANNO M. DC. XXXV.

1635

DISSERTATIO JURIDICA

SEBASTIANUS

CONSTITUTIONES
JURIDICAE



IN

ROSTOCK



I.

Cum universa bene geruntur, & competenter, si rei principium fit decens & amabile Deo, *a.* Ideo Exemplo laudatissimo sacratissimi Imperatoris Justiniani hanc juridicam Excercitationem incipere placuit, in nomine domini nostri JESU Christi, *b.* non autem inde statuens, quod invocatio nominis divini in instrumentis sit sollemnitas intrinseca necessaria. *c.*

a. Novell. 6. in prefat.

b. Ita e. telam exorsus Imperator noster institutionum suarum, & in Christi nomine ad omnia cōsilia, omnesq; actō semper progressus est, jura imperij suscepit, pacem in æternum confirmavit acerbissimos hostes & fortissimos Tyrannos dejecit, & multas dllicultates superavit *l. 2. C. de offic. pref. præ. Afric.*

c. 1. Quia nullibi probatur, annullari instrumentum, in quo omiffa sit illa invocatio *Dd. commun. Schned. ad rubricam proxmij. n. 1. Et c.* 2. quia si forsan reperiretur cautum, levis tamen sollemnitas est cujus omiffio non vitiat actum arg. *l. 1. §. fin. de inspic. vent. Non obstat. l. 22. §. 2. C. de jure deliber. moris enim fuit solum apud Constantinopolitanos signum crucis instrumentis præfigere, vel potius signum crucis requiritur ibi non à Notario subscribendum, sed ab herede conficiente inventarium, non omni, præsertim eo, qui scribere nescit.*

II.

His præmissis statim accedendum ad materiam propositam, de servitutibus, *a.* quæ vel prædiales sunt, vel personales. *b.*

A 2

4. Ser-

a. Servitutis appellatio in jure nostro non esse eadem, accipitur *e.* interdum de hominibus, interdum de rebus; quæ de hominibus accipitur ea dicta est à servando §. 3. *inst. de jure person.* & definitur constitutio juris gentium quâ quis alieno dominio contra naturam subjicitur, §. 3. *inst. d. r.* & l. 4. §. 1. *de stat. homin.* Quæ autem de rebus accipitur, illa derivatur à serviendo, quæ dominium ipsius rei non transfert in eum, cui, vel cujus rei servitus debetur, Et hæc definitur, quod sit jus serviendi in re alterius constitutum, & de hac hic agimus.

b. l. 1. *de servit. Duar. ad rubric. r. ff. de servit. in princ.*

III.

Definitur *a.* autem servitus prædialis, quod sit jus *b.* prædio inhærens, *c.* unius utilitatem respiciens, *d.* & alterius *e.* libertatem seu jus diminuens.

a. Bartol. in l. 1. ff. de servit.

b. tit. *inst. de reb. corpor. & incorp. in fine,* Jus autem dicitur respectu relationis inter prædium dominans, & prædium serviens, ratione vero hujus, quod servit, appellatur servitus.

c. Quod dicitur prædio inhærens, eo significatur esse qualitatem quandam prædij non inhærentem principaliter, sed extrinsecus advenientem, quæ qualitas inest prædio dominanti activè, servienti verò passivè.

d. Nam sine utilitate servitus nulla potest constitui l. *quodrens 15. De servit.* unde utilitatem aliquam afferre debet, vel rei illi cui in alterius re servitus illa constituta est, vel personæ. Non obstat l. *ei fundo 19. D. eod. tit.* licet enim ibi nulla in servitute detur utilitas, tamen aliqua futura est.

e. Particula Alterius monet de duplici prædio, quorum utrumq; in servitute requiritur: Non e. potest esse prædium serviens, sine prædio dominante l. 1. ff. *commun. præd.*

IV.

Estq; hæc duplex, Rustica vel urbana; *a.* Rustica servi-

servitus est jus, quod debetur rusticis prædiis, *b.* Ejus species *c.* sunt; *d.* Iter, *e.* Actus, *f.* Via, *g.* Aquæ ductus. *g.*

a. Ratione sc. prædiorum civili vel rurestri usui destinatorum *l. 198. D. de V. S. ibiq; Gildens. Lindeman. in suis Exercit. Insti- an. ad r. inst. de serv. rust. & urb. præd. th. 3.*

b. Sunt autem rustica prædia non tantum fundi, sed etiam ædificia, sive in civitate, sive extra civitatem, ad usum pecorum, vel fructuum colligendorum facta, secundum *Alciat. in l. Urbana 198. ff. de v. S.*

c. *l. 1. ff. de S. R. P. princ. inst. h. r.*

d. Iter est jus eundi ambulandi hominis, non etiam jumentum agendi. Est jus ambulandi non quidem amœnitatis vel voluptatis *l. ut pomum ff. de servit.* Sed utilitatis prædii causa, ut sc. eundo ambulando quid feratur, quod prædio proficuum esse possit.

e. Actus est jus agendi jumentum, vel vehiculum; Alterutrum autem sufficit ideo actus esse potest, licet vehiculum duci nequeat *l. qui sella 7. de servit. Rust. Præd. & l. si tam 13. ff. de servit.*

f. Via est jus eundi, & agendi, & ambulandi, qui igitur viam habet, ille tres distinctas habet servitutes, quia via & iter & actum in se continet *l. 1. de servit.* qui actum autem habet ille non habet duas distinctas servitutes *l. 4. ff. si servit. vindic* licet is, qui actum habet, & iter habeat, *prin. inst. h. r.* Eatenus *e.* simul & iter habet, quatenus eo ad actum opus est, nam formâ actus inspectâ ab itinere differt, ideo & sine itinere esse potest, veluti si actus sine itinere legetur *l. loci 4. ff. si servit. vindic.*

g. Aquæ ductus est jus aquam ducendi per fundum alienum, & hæc species in Codice sub rubricâ *tit. de servit. & aquâ appellatur aqua.*

V.

Sunt tamen plures species rusticæ servitutis. *a.* sed innominatæ, *b.* ut Aquæ haustus, *c.* pecoris ad aquam appulsus, *d.* jus pascendi, *e.* calcis coquendæ, arenæ

A 3

fodien-

fodiendæ, *f.* quibus etiam frequentissimæ servitutēs nostræ Germaniæ addi possunt, ut jus cædendi ligna ex sylvâ vicinâ, jus venandi, aucupandi in sylvis aliorum, item jus piscandi in flumine alieno.

a. §. 2. *inst. h. t. & l. 1. §. 1. ff. de S. V. P.*

b. Quia non à jure, sed actu utendi denominantur, *Capoll. cap. 9. de S. V. P.*

c. Quo concessio iter quoq; concessum est *arg. l. 2. ff. de ju. vud. & l. 3. §. 3. ff. de S. R. P.* Est autem Aquæhaustus jus hauriendæ aquæ ex fonte privato, vel puteo, aut aliâ quavis aquâ, quæ non est publica *Myns ad §. 2. h. t. pro utilitate fundi, vel pro laborantibus in fundo Gloss. hic in §. inter rusticorum 2. inst. h. t. Schneid. ad princ. seu rubric. h. t. n. 27.*

d. Hæc species licet rustico & pecori competat, tamen inter reales connumeratur servitutēs, si sc. occasione fundi, pagi, villæ, municipii alteriusve loci debetur. plura autem pecora, quam in servitute constitutum sit, appellari non debent, alioquin quæ excedunt, repellentur. Definitur autem quod sit jus appellendi pecoris agri mei, per fundum vicini, ad fontem sive puteum *capoll. c. 8. n. 2. h. t.*

e. Et hæc species prædialis est, si sc. fructus prædij vicini in pecore pascendo constat; Ut hæc sit servitus realis requiritur, quod quis habeat prædium vicinum, cui hæc servitus debeatur *l. pecoris 4. D. de S. R. P.* Dicuntur autem talia loca pascua, ubi pecora pascuntur, *l. sylva cædua 30. §. fin. ff. de V. S.* Definitur itaque recte quod sit jus pascendi pecoris in alieno fundo.

f. Has duas species fundorum causâ constitui oportet, & sic reales sunt, ut sc. tantum calcis & arenæ coquatur & fodiat, quantum pro agri fundive necessitate sufficit, ut casas seu tuguria ædificare liceat, in quibus fructus colligantur. *l. ergo. §. h. t.* Definitur autem servitus calcis coquendæ, quod sit jus, quo in fundo vicini calcem possunt coquere ad utilitatem mei prædij rustici *capoll. c. 10. h. t.* servitus vero arenæ fodiendæ, quod sit jus, quo in fundo vicini licitum est arenam fodere, ad utilitatem prædij dominantis *capoll. eod. cap. p. 1.*

g. Hæ

g. Hæc servitutes a re rei iura prædio serviente loco vicino, seu prædio dominantis, & occasione loci, personis illic habitantibus debentur, nec cum personâ intermoriuntur, sed sunt perpetuæ, & ad heredes, & quemcunque possessorem tam fundi servientis, quam dominantis transeunt, unde & reales dicuntur, quod sine prædiis, altero sc. dominante, & altero serviente, constitui non possint *Schneid. ad princ. inst. h. t. n. 42, Mysing. ad §. Rusticorum 2. n. 6. eod. h. t.*

VI.

Hæc de rusticâ servitute; Sequitur urbana, a. quæ est jus quod urbano prædio debetur, seu ædificiis cohæret, b. Ideo urbana dicta, quoniam omnia ædificia, quæ sc. habitationis hominum causâ facta sunt urbana prædia appellamus, c. etsi in villâ ædificata sint d.

a. Hæc servitus nonnunquam ratione usus, & prædiorum, quibus deservit rustica fit l. 2. D. de S. R. P. Lind. ad §. 1. Inst. h. t. ches. §. Non obstante, quod *Vulteius ad princ. h. t. n. 18.* contra d. l. 2. plane neget, urbanas servitutes posse interdum fieri rusticas.

b. §. 1. inst. de servit. Azo in summâ suâ n. 1. de servit. & aquâ.

c. d. §. 1. inst. h. t. l. urbana 198. ff. de V. S.

d. Hic apte quæri potest; An stabula pertinent ad prædia rustica vel urbanâ. Respond. Disting. inter stabula rustica, & meritoria; Stabula rustica pro fructibus & solis pecudibus recipiendis constructa, pertinent ad prædia rustica, meritoria autem pro recipiendis etiam hominibus ædificata, quorum mentionem facit l. 5. D. Naut. caup. stabul. &c. pertinent ad prædia urbana. Et hæc distinctione tollitur Antinomia, quæ esse videtur inter l. Urbana 198. D. de v. S. & l. eo jure 4. D. In quib. caus. pign. vel hypot. tacite contrah.

VII.

Urbanæ servitutis species sunt vel ajentes vel negantes, a. Ajentes sunt, quæ verbis affirmativis conceptæ

ceptæ sunt; us jus oneris ferendi, b. altius tollendi, c. stillicidium avertendi, d. tignum immittendi, e. servitus projiciendi; protegendi, f. prospectus & luminum, g.

a. *Gloss. in l. i. D. de S. V. P. Mynsing. ad §. prædiorum n. i. h. t. Schned. ad d. §. n. 2.*

b. Prima hæc species affirmativa urbanæ servitutis est jus, quo imponitur, ut columna vel paries tuus perpetuo ferat onus domus meæ l. *Eum debere columnam 33. & ibi gloss. D. de S. V. P. non quidem, quod columna vel paries sit perpetuus, sed si defecerit, ut is reficiat, qui servitutem debet d. l. Eum debere columnam 33. & Mynsing. ad d. §. præd. inst. h. t. n. 2. Ideoq; cum is sc. reficere, & restituere cogitur, qui servitutem hanc debet, cessat hoc in hæc servitute, quod dicitur in l. quoties 15. s. 1. ff. de servit. Servitutum non ea natura est, ut aliquid faciat quis, sed ut aliquid patiat aut non faciat; nam hoc verum de omnibus servitutibus, excepta hæc in quâ hoc speciale est contra naturam servitutum arg. l. Et si forte 6. §. 2. ff. Si servit. vindic. Vult. ad d. §. prædiorum inst. h. t. Schned. n. 4. Myns. n. 2. ad §. eund. Treuil. disp. 17. Vol. 1. Thef. 2. l. a.*

c. Hæc secunda species commode & apte definitur, quod fit jus à prædio urbano alteri debitum, quo quis tenetur ædificare propter ventos, aspectum, aut umbram vicino inde venientem, *Gloss. in l. i. de S. V. P. capoll. c. 26. n. 2. de S. V. P. Bartol. in d. l. i. cum air. Nostra sæpe interest, ut vicinus suam domum altius elevet. De hæc autem specie interpretes ut plurimum dubitant, ajuntq; eam in servitutis speciem non recidere, cum jure libertatis competat, ut in l. altius 8. C. de servit. & aqua dicitur, quæ pugnare videtur contra expressos juris textus alios, ut d. l. i. de S. V. P. & §. æque inst. de action. Ubi expressè jus altius tollèdi refertur inter species urbanæ servitutis. Unde d. l. altius 8. varie à variis conciliatur, cum dd. textibus, nonnulli Justinianum d. §. aque de jure statuario, nonnulli de servitute remissa explicant, verum neutra conciliatio nodum solvit, quia illi, qui id de statuto explicant, referantur ipsius Justiniani verbis, cum ille non de jure statuario, sed de jure communi id ipsum affirmet; illi verò, qui de servitute remissa*

remissa loquuntur, ex eo refutantur; quod tum non jure servi-
tutis, sed libertatis, quod rursus reciperent, altius tollatur. Ut
tamen nodus hic solvatur, Distinguendum assero, inter liberta-
tem restrictam & omnimodam; quæ distinctio ut fiat clarior, &
magis intelligi possit, talem fingo casum; Titius Sempronio
servitatem debet altius non tollendi, Titius postea impetrat, ut
sibi per pedes sex vel septem altius tollere liceat, hoc casu si al-
tius tollat, non jure libertatis id facit, sed jure servitutis, nam
si jure libertatis altius tolleret, non esset astrictus ad certam pe-
dum mensuram.

d. Tertia species definitur, quod sit jus debitum prædio
meo, quo possum stillicidium seu aquam pluvialem avertere &
derivare in tectum aut aream vicini mei per *textum l. urbano-
rum 2. D. de S.P.V. Schned. ad §. prædiorum n. 8 inst. eod. tit.* Et dicitur
averti stillicidium ex prædio dominante, & recipi à prædio ser-
viente, unde licet area sit prædium rusticum, tamen quia debe-
tur domui, & sic prædio urbano, recte refertur hæc inter species
urbanæ servitutis secundum *Gloss. in d. l. 2. in verb. aream ff. h. t.* Dici-
tur autem stillicidium quasi stillarum cadium, quod guttatim ca-
dat ubi è tectis guttæ fluunt *Myns. ad d. §. prædiorum n. 5. inst. h. t.*
Differt autem à flumine, cum hoc continue fluat, illud stillatim
cadat. *varr. l. 4. de ling. lat. Gloss. ad §. præd. ad verb. ut stillicidium inst.
h. t.* Circa hanc tertiam speciem tria potissimum consideranda
sunt 1. quod nemo stillicidium suum possit dirigere super tectum
domus vicinæ depressæ, aut aream vicini, nisi servitus prius sit
imposita *arg. d. l. 2. ff. h. t. capoll. c. 28. n. 2.* 2. quod ille, qui servitu-
tem stillicidii sibi acquisivit, altius possit tollere, sed non deprimere,
cum quod ex alto cadit, lenius & interdum non directe,
& sæpe etiam non perveniat ad locum servientem *l. servitutes
20. §. stillicidium 5. ff. h. t. Treurl. Disp. 17. vol. 1. thes. 2. l. 1.* 3. Et ulti-
mo, quod hæc servitus collapsâ domo, ex quâ stillicidium cadit,
non perimatur in effectu, sed remaneat in habiru, nam restituto
ædificio in priori specie & qualitate, restituitur & servitus *d. l.
servitutes 20. s. si sublatum 2. ff. h. t. Schned. ad d. §. prædiorum n. 13.
Mynsing. ad §. eund. n. 8. in fin. inst. h. t.*

B

e. Quarta

e. Quarta species Tignum immitendi definitur, quod sit jus, quo tignum licet immittere in vicini parietem, ut in utroq; prædio tam dominante, quam serviente requiescat l. Hoc quod 25. ff. h. t. l. malum 242. ff. de V. S. Mynsing. ad. §. præd. n. 4. in fin. inst. h. t. Tigni verò vocabulum licet aliàs late pateat: quia & lapides & testam, & omnem ad ædificandum materiam vinearq; necessariam comprehendat l. §. 1. ff. de tign. junct. §. cum in suo 30. inst. de R. D. & Acq. rer. domin. hic tamen pro trabibus immisissis tantum sumitur. Myns. ad d. §. prædiorum n. 3. Schneid. ad s. eund. n. 5. Notandum etiam circa hanc speciem est, quod non licitum sit tignum immittere in parietem vicini, nisi constitutâ prius servitute l. quem admodum 29, §. si protectum ff. Ad l. Aquil. qui textus semper allegatur ad hoc, si aliquis fabricat murum, vel erigit sepem in fundo meo quem ego Dominus possideo, quod propriâ autoritate mihi licet in meo ædificatum destruere & penitus evellere Schneid. ad d. §. n. 6. Non igitur dubium est, quin tignum immisissum in parietem, qui non debet servitutem, propriâ autoritate possit eximi & tolli Gloss. in d. §. si protectum de S. V P.

f. Hæc quinta & sexta species diversæ sunt, l. 2. ff. h. t. Dozell. l. ii. c. 4. cæpoll. de serv. urb. præd. c. 31. & 32. Prior est jus, quo quis partes domus prominentes, unde aspectus est in vicis ita projectas habet in alieno, ut nusquam quiescant l. malum 242. §. inter ff. de V. S. VVesenb. parat. h. t. n. 8. quo ipso à servitute immitendi formaliter differt. Posterior est jus quo quis ex prædio suo urbano supra solum vicini facere potest protectum, ad arcendas injurias pluvix à parietibus domus, VVesenber. d. loc. per alleg. ibidem. Ad protectum autem propriè pertinent Mæniana, & suggrundia Oldenb. class. 3. act. 4.

g. Et hæc ultimæ species affirmativæ diversæ sunt, prior etiam ex inferioribus vicini locis apertis, posterior de cælo capitur, prior plerumq; voluptatis, posterior necessitatis l. lumen 16. ff. h. t. prior igitur recte definitur, quod sit jus spectandi, seu prospiciendi in prædium vicini Vult. i. l. P. R. 63. n. 62. ex certo aliquo

In quo loco domus meæ, *Schneid. hinc n. 16. & seqq.* à quâ differt illa quæ dicitur, ne prospectui officiat *vide infra θ. 8. l. c. Trent. l. 1. disp. 17. th. 3. lit. c.* Et posterior, quod sit jus, quo acquisitum, ut vicinus teneatur recipere lumina nostra, h. e. fenestras in suo excipere, quibus lumen cœli hauriatur. *l. luminum 4. ff. h. t.* nam absq; hâc constitutâ servitute, nemo in parietem vicini, vel communem fenestram immittere potest, *l. eos 40. h. t.*

VIII.

Negantes verò verbis negativis conceptæ hæ sunt; *Altius non tollendi, a. Stillicidij non avertendi, b. ne prospectui officiat, c. nec luminibus d.*

a. Hæc servitutis species negans est jus, quo alicui ædificium suum altius tollere invito vicino non licet *l. altius 8. C. de servit. & aquâ*, Et hæc servitus nisi fuerit imposita vel præscripta, non prohibetur vicinus ædificare, vel domum elevare, vel altius tollere, & obscurare lumina mea, si etiam vicini aerea vel domus steterit non ædificata, vel depressa per 1000. annos *l. cum eo 9. D. h. t. junctâ l. altius 8. C. de serv. & aquâ Schneid. hinc n. 19.* Si vero fuerit imposita, tunc non licitum ædificia ultra debitam altitudinem extruere, licet non prohibeamur arbores altiores habere, nisi fuerint de prospectu, siye obstaturæ ut loquitur *l. ædificia 12. ff. de S. V. P.*

b. Species stillicidij non avertendi definitur quod sit jus, quo alicui stillicidium suum non licet derivare in suam aream *Gloss. in l. 1. ff. de S. V. P. cap. Cap. 29. eod. tit.* veluti si habeam cisternam, cui quantum satis est implendæ stillicidia domus meæ non sufficiunt, vel habeo hortum ædibus meis contiguum, qui ex vicini mei stillicidio commode irrogari potest, & cum eo ago, ne stillicidium avertat, nec aliò quam in ædes vel hortum meum perducatur, illa dicitur servitus stillicidij non avertendi, in quâ prædium dominans est illud, quod stillicidium recipit; hinc etiam, si stillicidium fuerit fractum, vel collapsum, is illud reficere

perere tenetur, ad quem pertinet *l. Et si forte 6. §. etiam 6. D. si ser-
vit. vindicetur.*

c. Tertia, ne prospectui officiat, est ius, quo alteri pro-
spectum meum gratiorem & undiquaque liberum deteriore
reddere non licet *l. inter servitutes 19. D. h. t.* unde plus est in hac
servitute, quam in servitute prospectus, de qua supra *th. 7. lit. g.*
illa enim constituta datur tantum prospectus in pradium vicini,
v. g. ex certa aliqua fenestram meam domus, illa autem præbet li-
berrimum undiquaque prospectum &c. vide *Schneid. d. l.*

d. Ultima hæc species est ius, quo alteri lumina mea, sive
ædificando, sive arbores plantando auferre fas non est *l. lumen
16. & l. seq. si arborem 17. D. h. t.* Hic autem queri si solet; an hæc
species, ne luminibus officiat, sit distincta à specie servitutis
altius non tollendi? multi sunt qui negant, ut *Cuiacius 17. observ.
35. Donellus & alij*, Multi qui affirmant, ut *Vvesenbetius, Duarenus
in l. 17. ff. D. h. t. & alij*, cum quibus & nos sentimus, nam 1. non
tantum altius tollendo, sed & aliis modis luminibus officii po-
test, interdum enim is qui ædificium deprimit luminibus officit
*l. si arborem 16. §. interdum 2. D. eod. tit. 2. propter l. adificia 12. D. h. t.
3. propter §. prædiorum inst. h. t.* ubi particula Ne, non reddit ratio-
nem, sed novam denotat servitatem 4. Et ultimo propter *l. 4.
D. h. t.* ubi particula Maxime, satis id coarguit. Deinde queri so-
let; An species servitutis luminum & ne luminibus officia-
tur, quid differant? Nos illud cum affirmantibus statuimus pro-
pter *l. luminum 4. & l. si servitus 23. D. h. t. Duaren. in d. l. luminum
& alibi.*

IX.

Hæc dicta sunt de speciebus servitutis tam
urbanæ, quam rusticæ; Sequuntur jam modi, quibus
servitutes constituuntur; Constituuntur autem illæ
conventionem inter vivos, pacto sc. & stipulatione, a.
testa-

testamento etiam quis potest heredem suum damnare,
ut servitutem præstet. *b.*

a. §. *fin. inst. h. t. l. 3. in princ. de usuf.* Servitutis autem
ex pacto constitutæ elegans est Exemplum in *l. venditor 13. princ.*
ff. commun. prædior. ubi per vocabulum legis pactum recte intel-
ligit *Gloss. ibid.*

b. *l. potest. 16. D. commun. prædior. d. §. ult. inst. h. t. & l. si te-*
stamento 31. D. h. t. Thesi vero hanc non ita strictè sumas, quasi
aliis modis non possint constitui servitutes, Nam & precario
potest constitui servitus *l. 2. §. fin. junctâ l. 3. item l. 15. §. 2. de pre-*
cario. Item Emptione *l. quotiens fin. D. de servit. & consuetudine*
d. l. venditor §. si constat. Item sententiâ judicis *l. item Labeo 22. §.*
sed & 2. D. Famil. Erisc. l. communi 7. §. Neratius 1. D. comun. di-
vid. & aliis quibusdam modis, vide infra tb. ii. quos autem modos in
thesi, propter §. fin. inst. h. t. ubi Imperator tantum tres illos mo-
dos, quorum in thesi facimus mentionem, tradit, ponere brevi-
tatis studio noluimus.

X.

Servitus prædialis (de quâ diximus) non confi-
tuitur sub conditione, vel ad certam conditionem, vel
ex tempore, vel ad tempus. *a.*

a. *l. 4. ff. de servit. Treuti i. disput. 17. tb. 7. sub l. a.* Non obstat *l.*
98. D. de V. O. Distinguendum enim inter servitutem constitutam
& constituendam, potest promitti sub conditione, non verò con-
stitui. *Govean. i. var. lection. 9.*

XI.

Hic à Dd. quæri solet; An servitutes Usucapi
possint? Nos quoad Justinianæum jus id affirmamus. *a.*

B 3

secun-

secundum sententiam Duareni r. disput. 34. Sic etiam
titulum b. in usucapione servitutum, non autem scien-
tiam Domini requirimus c.

a. 1. Jure Digestorum per l. si quis ro. D. si servit. vindicetur.
l. 1. in fin. D. de aq. & aq. pluv. arc. cui Dd etiam addunt l. i. §. fin. de
superfic. Non obstante l. fin. D. de usurp. & usuc. 2. Jure Codicis
per l. fin. C. de præscript. long. tempor. & l. penult. C. de servit.
& aquâ. Item per l. unic. de usuc. trans. vert. Ideo per præsen-
tem legem, & in Italicis soli rebus, quæ immobiles sunt,
vel esse intelliguntur, sicut annalem Exceptionem, ita & usu-
captionem esse transformandam censemus, Hic Imperator dicit
usucaptionem esse transformandam in rebus immobilibus, &
quæ tales esse intelliguntur; Quænam verò illæ sint, notum est,
Jura sc. incorporalia, ac proinde servitutes arg. l. 2. verb. exem-
plo rerum immobilium &c. C. de servit. & aquâ. Errant illi, qui
verba illa d. l. unic. (vel esse intelliguntur) explicant non de re-
bus in corporalibus; sed rebus extra solum Italicum sitis, jure
tamen Italicis soli donatis, quasi hæc sc. Italicis soli non sint, ejus
tamen esse intelligantur, quia paribus cum illis fruuntur privi-
legiis; nam verba semper sunt referenda non ad remotiora, sed
ad proximè præcedentia, quare etiam illa verba (vel esse intel-
liguntur) erunt referenda ad verba (quæ immobiles) quæ pro-
ximè præcedunt. Et eo modo talis erit sensus; Usu captionem
non solum in Italicis soli rebus immobilibus esse transforma-
tam, sed etiam in iis, quæ immobiles esse intelliguntur. Vide
presens. prolixius hæc de re loquentem in par. ff. de serv. u. §.
titulum b. Secundum Duar. d. c. 34. per. l. fin. C. de præscript.
long. temp. non requiritur scilicet scientia vel ignorantia.

c. d. l. fin. ibi nulla scientia vel ignorantia.

XII.

Dictum quibus modis servitutes constituentur,
dicendum itidem, quibus modis amittantur. a. Amit-
tuntur

tuntur autem tam rusticæ, quam urbanæ servitutes
1. confusione *b.* 2. remissione *c.* 3. non utendo. *d.*

a. Omne enim quod certis modis colligatum est, certis etiam modis dissolvitur *l. 35. D. de R. I.*

b. *l. 1. D. quemadm. servit. amit.* quod si partis tantum Dominus fiat, pro parte retinetur servitus *l. 8. §. 1. D. de servit.*

c. *l. 14. §. 1. D. d. r.* remissio autem non solum verbis fit, sed etiam si re aliquâ vel facto id ipsum se velle Dominus declaraverit *l. si fillicidij 8. D. quemadm. servit. amit.*

d. *l. sicut 13. C. de servit. & aquâ.* Servitute autem non uti etiam intelligitur is, qui loco quodem utitur serviente, non tamen ut servitute *l. fin. D. quemadm. serv. amit.* Item is, qui loco serviente utitur jure servitutis, non ramen servitute constituta *l. ei comman. 10. §. 1. l. 1. in princ. & l. 18. in princ. D. eod. lit.*

X III.

Actiones de servitutibus hisce in rem (ad Exemplum earum, quæ ad usum fructum pertinent) præditæ sunt, tam confessoria, quam negatoria, *a.* quæ dupliciter à vindicatione rei corporalis differunt. *b.*

a. Confessoria ei, qui servitutes sibi competere contendit, Negatoria Domino qui negat. *l. 2. in princ. D. si servit. vindic. §. æque 2. inst. de action.*

b. 1. Quod hæc unica sit, illa duplex 2. quod illa non tantum non possidenti, sed etiam possidenti detur, Hæc vero non possessori, sed tantum in possessorem *d. §. æque Treutl. 1. dist. 17. sub lit. b.* Et tantum de nobilissima hæc materiâ pro temporis, & instituti ratione tractasse sufficiat.

CO.



COROLLARIA

Politica.

1. An Magistratus iniquus sit à Deo, & an ei honor & reverentia debeatur? Aff. Si modo legitimè ad regimen fuerit vocatus.
2. An Imperium nostrum hodie sit adhuc, & rectè dicatur Romanum? Aff.
3. An Imperium nostrum sit à pontifice, & sub pontifice, vel an sit feudum pontificis? N.
4. An pontifex habeat utrumq; gladium, tam in temporalibus, quam Ecclesiasticis? D.
5. An Imperater noster aliquam præeminentiam & dignitatem habeat præ omnibus aliis regibus & principibus? A.
6. An mercaturam Excercere sit honestum & licitum? & an mercaturæ Exercitium nobilitatis splendorem possit servare? prius affirm. posterius negam. nisi consuetudo contrarium doceat.

*Soli Sapienti Deo sit laus, Honor, & gloria
in æternum Amen,*

Sic



Sic est; Addictus Juri exin præmia
multa

Percipit; *At vendunt cuncta labo-
re Dii.*

Pergito', Divorum fies Emptor, *Amice,*
labore,

Illius & acti præmia digna da-
bunt.

*Benevolentia E. Convictori Charissimo,
& discipulo suo assiduo hæc
faciebat.*

Albertus Schonlouw.

J. U. D.

Index

C

Ad



Ad

Doctifs. Dn. Respond.

Contrahis ingenium simulosi indagine juris
*A*ssidua, (mirum hoc!) & simul amplificas,
*A*mplificas sedulo numerosa volumina volvens,
*P*arte aliquâ gaudens contrahis ingenium.
*P*ars placet unâ modo, quæ nos servire docebit
*P*rædia: difficilis materia ista tua est.
*S*unt animi dotes variæ tibi, suntq; labores
*D*ivisi, hinc pulchrè contrahis, amplificas,
*C*ontrahere, dum virvax juvenili in corpore virtus
*P*erstat, & amplifica dum tibi vita manet.
*I*ngenium sic jure tuum super astra volabit
*D*ignum laude virum vincere Musa jubet.
*V*ivere Musa jubet, præreptum morte parentem
*H*unc sequere, Ingenium contrahis, amplificas.

L. Mg.

scripsit

Johann. Holmann.

Instita



Insita diversis mens est diversa? loquendi
Hic vitam tenui finit in arte suam.
Ille facultatem juris quam spernit & odit;
Jactitat & Sophiam, quæ ferè nec Sophia.
Altius ex imo caput effers pulvere, Amice,
Dum veram Sophiam, juraq; doctus amas.
Præceptis Themidis servire ut prædia possint
Differis, & doctè libera multa doces.
Urge propositum, studiis incumbere supremis,
Sic servis juri, juraq; liber amas.

Benevolentia ergo
suo

apposuit

Jacobus Morfius
Hamb.

F I N I S.

Handwritten text at the top of the page, likely bleed-through from the reverse side.

Multa diversis mens est diversis...
Etic vitam...
Uic...
factis &...
Dicitur...
Traxerit...
Dicitur & docet...
Bene...
160

Jacobus Morinus
Hamb.

F I N I S

tuntur autem tam rusticae, quam
1. confusione b. 2. remissione c.

- a. Omne enim quod certis modis etiam modis dissolvitur l. 35. D. de R. I.
- b. l. 1. D. quemadm. servit. amit. quominus fiat, pro parte retinetur servitus l. 1. §. 1. D. d. r. remissio autem sed etiam si re aliqua vel facto idipsum servaverit l. si fillicidij 8. D. quemadm. servit. d. l. sicut 13. C. de servit. & aqua. Sicut etiam intelligitur is, qui loco quodam tamen ut servitute l. fin. D. quemadm. serv. loco serviente utitur jure servitutis, non raturata l. ei comman. 10. §. 1. l. 1. in princ. & l. 18. d.

X III.

Actiones de servitutibus his
emplum earum, quae ad usum fructu
ditae sunt, tam confessoria, quam ne
pliciter a vindicatione rei corpora

- a. Confessoria ei, qui servitutes fi
dit, Negatoria Domino qui negat. l. 2. in
§. aequae 2. inst. de action.
- b. 1. Quod haec unica sit, illa du
tantum non possidenti, sed etiam posside
non possessori, sed tantum in possessoren
spur. 17. sub lit. b. Et tantum de nobilissim
temporis, & infortuni ratione
sufficiat.



Image Engineering Scan Reference Chart T263 Serial No. Patch Reference numbers on UTT

CO.